



BREVE ALTERUM
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
INNOCENTII XII.
CIRCA FORMULARE &c.

INNOCENTIUS PP. XII.



Enerabiles Fratres salutem & Apostolicam benedictionem, Litteras quas decimâ nonâ Julii ad Nos dedistis, libenti animo accepimus, cùm in illis vestras ad hanc S. Sedem preces intellexerimus, quibus Nostrum judicium pro sana doctrina vestris in Dioecesibus regulanda postulatis. Ex iisdem au-

autem litteris apertè deprehendimus mala, quæ quoad Janſeniſmum exponitis, non procedere ex eo, quod Brevi à Nobis 6. Februarii anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi quarti ad Vos dato, ſatis ipſis non ſit conſultum, ſed potiùs quia idem Breve executioni fortaſsè, uti par eſſet, non mandetur, cùm illud nulla prorſus indigeat explicatione; aptumque ſit, ubi in ipſo præſcripta adimpleantur, efficax, atque opportunum afferre remedium. Quod ſi prætenſi Janſeniſtæ internè, & abſque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propoſitiones, quàm in ſenſu obvio,

vio, non habito reſpectu obvii ſenſûs dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi ſenſum obvium, Eccleſia non judicat de occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt. Sin verò iidem prætenſi Janſeniſtæ voce aut ſcriptis edant proprios ſenſus, Apoſtolicarum Conſtitutionum, prædictique Brevis ſenſui diſſentaneos; debent Epiſcopi, prout de jure, contra eos procedere non tantùm authoritate ordinariâ, ſed etiam ſpeciali facultate ipſis indultâ à conſtitutionibus Prædeceſſorum Noſtrorum fel. record. Innocentii decimi & Alexandri ſeptimi, quas Nos quoque confirmavimus; ita ut, ſervatis ſervan-

dis,

dis, congruè puniantur, cùm ea omnia facilè probari poſſint, quia agitur de actibus externis.

Non ſine admiratione intelleximus, nonnullos iſtis in Diœceſibus reperiri, qui verbis, & calamo auſi fuerint affirmare, ſupradicto Noſtro Brevi alteratam, ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri ſeptimi decimâ ſextâ Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti editam, necnon Formularium ab ipſomet pronuntiatum, cùm dicto Brevi utrumque ſpecificè confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus iiſdem adhærere, & nequaquam ſinere, ut aliquid addatur, vel dematur à

præ-

prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, ſed quod in omnibus, & ſingulis ejuſdem partibus uti mandavimus, mandamus etiam ad amuſſim obſervari. Quod attinet ad libros Sacræ Scripturæ idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent conſtitutiones Prædeceſſorum Noſtrorum & potiſſimum fel. record. Pii quarti, à quibus ſatis ſuperque abuſibus providetur: uti etiam confugia ad Laica Tribunalia à conſimilibus conſtitutionibus inhibentur, quarum Epiſcopi ſuis in Diœceſibus obſervantiſſimi executores eſſe debent. Quod pertinet ad pendentes controverſias circa admini-

niſtrationem Sacramentorum, donec aliquid ſpecialiùs decernatur, ab iiſdem Epiſcopis advigilandum eſt, ut juxta Sanctiones Canonicas, ſtatuta Conciliorum, & praxim Eccleſiæ adminiſtrentur, habitâ caſuum, atque eorum circumſtantiarum ratione. Etenim in præſens magnâ ſolicitudine diſcuſſioni Propoſitionum, quæ inter alias abundè delatas, ad hoc argumentum ſpectant, adlaboratur à Conſultoribus & Qualificatoribus ſupremæ hujuſce Inquiſitionis, qui omnes ſunt pietate ac doctrina præſtantes. De veſtra autem in hanc S. Sedem obſervantia adeo præclarè ſentimus, ut planè confidamus, non omiſſuros vos ejuſdem